DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE PESTE,

QUAM

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. FLORENTII SCHUYL, Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, hujusque Facultatis in Academia Lugduno Batava Professoris celeberrimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, & almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

Pro Gradu Doctoratus, summisque in Medicina Honoribus, & Privilegiis solemnitèr consequendis,

Publico Examini subjicit

JOHANNES BIDLOO, ROTERODAMENSIS,

Ante diem 2. Julii, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina PETRI & CORNELII HACKII.
cIↃ IↃ C LXVI.

Venerando, & Spectabili
VIRO,

D. GULIELMO BIDLOO,

Avo suo, filiali amore in æternum colendo.

UT ET
Clarissimo, Doctissimo
VIRO,

D. FRANCISCO DE LE BOË, SYLVIO,

Doctori, & Medicinæ practicæ Professori celeberrimo, Promotori, ac Præceptori nunquam non honorando,



IN
Perpetuum observantiæ, & grati animi
Testimonium has Theses
D. D. D.
JOHANNES BIDLOO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PESTE.

§. I.

PLures omni tempore fuerunt Pestis investigatores seduli, ut ex perspectâ ejus Natura solidam de Veneno inducerent conclusionem: nullus tamen (quod sciam) hactenus certam determinavit causam, quæ læsis in Peste functionibus explicandis sufficiat. Præterquam quod Clariss. & Expertiss. Vir *Franc: de le Boë Sylvius*, Præceptor noster plurimum honorandus, non ita pridem per ratiocinationes in Experientia fundatas concluserit *vim Veneni Pestilentis* consistere in *Sale valde volatili*, *& acri*. Quam sententiam si non probatam, at saltem probabilem judico, cum omnia in Pestiferis observabilia in eandem unanimiter conspirent causam.

§. 2. Cum verò Medica alicujus affectus consideratio, effectus considerando, commodè *à posteriori* instituatur, ut ex manifestioribus abstrusa, & occultè latens deducatur causa, eandem insistentibus viam, *signa* tam *interna*, quam *externa* præmittere suadet methodi ratio.

§. 3. Inter *Interna Signa* occurrit primo, *Calor summè urens*, qui valde molestus interiora corporis, & præcordia præsertim torquet. Si autem *Pesti* copuletur *Febris*, ad superficiem corporis plerumque magis diffunditur iste calor, ita ut externè sit observabilis. Caloris hujus comes est *Sitis urgens*, summa *Corporis jactatio*, & *Inquietudo*, propter quam in alterutrum latus vix possunt decumbere; *Linguæ ariditas*: Rarius verò Lingua satis *humet*, sæpiùs cum denso *squallore* nigricat. Signa

§. 4. Secundo. *Nausea continua*, cum irrito sæpius vomendi conatu, qui ægros mirè debilitat; sæpiùs etiam evomuntur amara, fœtida, &c.

§. 5. Tertio. *Capitis dolor intolerabilis*, qui conjunctum habet *ardorem*, nunc *mitem*, nunc *graviorem*, & manui applicatæ manifestum.

hinc *Delirium*, & *Vigiliæ* perſeverantes; quarum loco obſervatur ſæpius *Sopor*, vel *Somnolentia lethalis.*

§. 6. Quarto. *Summa cordis Anguſtia*, *&* *Anxietas* inexplicabilis, cui accedit *Leipothymia*, *cordis Palpitatio*, *Syncope*, &c. *Pulſus* quoad omnes differentias eſt *inæqualis*, & aliquando *intermittens*, imò *nullus.*

Externa §. 7. Ad *externa ſigna* referuntur *Bubones*, ſive tumores glandularum *conglobatarum*, præſertim in Collo, Inguine, ſub axillis, & poſt aures ſitarum. quæ loca à Veteribus malè *Emunctoria* fuerunt appellata.

§. 8. *Anthraces*, ſive *Carbunculi*; qui frequentius puſtularum formâ prodeunt in facie, pectore, collo, & femore; ratione *coloris*, *albæ*, *rubræ*, *nigræ*, *&c.* propter acrimoniam valde *ſerpentes.*

§. 9. *Maculæ* diverſæ *magnitudinis*, & *coloris*; aliæ *parvæ*, aliæ *majores* Piſi magnitudinem æquant, aliæ *rubicundæ* pulicum morſus, aliæ *nigricantes* Piperis granum imitantur, unde *Pepercoorn* Belgis indigitantur. Maculæ autem prædictæ tam apparent homine vivente, quam mortuo.

§. 10. Quamvis autem *Peſtis* ſigno deſtituatur pathognomonico, ex enarratis ſignis rectè tamen cognoſcitur ejus *præſentia*; cum *Naturam Peſtis* abſolvant *plurima graviſſima ſymptomata Naturalis præſertim Facultatis*, *à ſale volatili*, *&* *acri producta.* Quæ cum in eodem ſubjecto rarius ſimul appareant, conſiderandum an plures *eâdem Lue* ſint infecti: quò non parum facit *ſubitanea illa Virium vitalium proſtratio*, utpotè non minimum diræ *malignitatis* indicium.

§. 11. Obſervantur præterea quædam *ſigna ſecundaria*, quæ *acrimoniam*, *copiamque* veneni manifeſtant, & ad Prognoſin formandam multum conferunt. Inter quæ 1°. eſt *Alvi fluxus*, *fœtens*, *ſanguineus*, *æruginoſus*, *&c.* In aliis eſt Alvus *adſtricta.* 2°. *Urina*, quæ interdum *craſſa* & *fœtida*, ſcœpius ſanorum lotio *ſimillima* eſt. 3°. *Sudores copioſi*, *pauci*, imo per artem interdum *nulli* propelli poſſunt. 4°. Hæmorrhagiæ Narium, in fœminis quoque Uteri: ſanguis autem excretus, quod præcipuè notandum, plerumque non *concreſcit*, ſed manet *fluidus.* 5°. *Dolor atrox* in regione lumbari; ubi inteſtinum tenue Meſenterio ſubſtratum plurimorum malorum eſt focus. 6°. In ipſo ore apparent *Aphthæ*, *flavæ*, *albæ*, *nigræ*, *&c.* quæ noviſſimæ noſtræ Peſti admodum erant familiares.

§. 12. Functiones commodè dividuntur in *Naturales*, à *Corde*, ejuſque

ejuſque Efferveſcentia præſertim; & *Animales*, à *Cerebro* primariò pendentes: quarum illæ ad vitam ſimpliciter; hæ ad beatiorem neceſſariæ ſunt. Cum autem Peſtis vitam homini adimat, patet Naturales præcipuè lædi, in quibus explicandis præcipuè verſabitur noſtra diſſertatio exordium ſumendo ab ipſo Ore.

causae sitis

§. 13. *Sitim* à *ſale*, omnibuſque eô conditis augeri, nullus ignorat: hinc plures potus copioſioris aſſumendi gratiâ ſalitis videas abuti. Idem præſtant quæ ſalem in Bile exiſtentem reddunt acriorem, ut Ira, æſtus, tum externus, tum internus, &c. Imo *ſitis* in affectibus à Bilis *Acrimonia*, vel ſimul *Oleoſitate* peccante productis frequentiſſimum eſt ſymptoma. Qui effectus ſi *ſali Muriatico* poſſit adſcribi, in quo etiam reperitur *ſuccus acidus*, non minus commodè à *volat: ſale* deducitur. *Cruſta* autem nigra, & craſſa Linguam inveſtiens ortum habet à *ſalivâ* veneno Peſtilenti infectâ, & in os delatâ; quæ propter linguæ *ſiccitatem*, & ſuam *viſciditatem* (qualis in ſitientibus obſervatur) facilius ibi hæret, & per aſſurgentes ex ventriculo halitus magis conglutinatur.

§. 14. *Aphthæ*, ſi ex vulgari ſententiâ agnoſcant halitus *acres ſalinos*, in noſtrum quoque collineant ſcopum; ſed cum contraria nobis arrideat ſententia, quid hic indicent, inveſtigabimus. Halitus iſtos aſſurgere ex ventriculo, & *Efferveſcentia inteſtinali*, patet; quia *Aphthæ* rarius puſtularum formâ, prodeunt, ſed poſtquam oris tunica ab aliquo acri externè fuerit excoriata, exulcerataque. *Acre* illud eſſe *Acidum* his præcipuè conſtat argumentis. 1°. Tales ægri plerumque ſpirant acidum. 2°, Infantes non rarò Aphthis laborant, dum tormina ventris; vomitus lactis coagulati; dejectiones æruginoſæ, &c. ſufficienter probant acidum in iis peccare. 3°. In Lue venerea Aphthæ ſunt frequentes. Imo 4°. Ipſa ſaliva guſtu valde acris & acida interdum os excoriare, & ſimile malum producere valet. Hinc Aphthæ noſtris Regionibus ſunt magis familiares, quia aëris conſtitutio promovet acidi generationem. Nec mirum quis ducat in Peſte ſimul peccare acidum, cum ab eo tantum pendeant Lancinationes in peſtiferis; & in aliis Periodica febris ardentis exacerbatio: in quâ aphthæ oriuntur, quatenus acidum per ſe minùs volatile, per vehementiorem cum Bile efferveſcentiam, faciliùs aſſurgit. *Aphthæ* autem ſecundariò probant noſtram ſententiam, quia bonum plerumque præbent ſignum, & ſpem Eventus felicioris, quatenus per acidum in

corpore auctum *concentratur* & *figitur* sal volatile & acre.

§. 15. *Nauseam* generant *halitus* ex vitiosa in tenui intestino effervescentiâ adscendentes, Ventriculumque vellicantes, quibus materiam suppeditare solet *Bilis*, ratione *volatilis salis* facile assurgens. Irritus sæpe est vomendi conatus Nauseæ conjunctus, quia humores sunt viscidiores vel ventriculus vacuus, unde summa oritur Anxietas, quæ cessat vomitu subsequente.

§. 16. *Vomitus* eandem cum *Nausea*, sed graviorem arguit causam, cum omnem vomitum præcedat Nausea. Halitus biliosos & ipsam Bilem hujus molestiæ causam fuisse testatur subsequens amarorum & acrium evacuatio. Ipsa enim *Bilis* si aliquanto *Pinguior*, & *volatilior* fiat, apta est, ut *Nauseam Vomitumque* producat cum per analysin Chymicam discamus præter *copiosum salem lixivum, oleum,* & *spiritum volatilem*, ejus constitutionem naturalem quoque ingredi *multum salis volatilis*, ad affusionem spiritus acidi vehementer effervescentis. Hinc biliosi in vomitum proclives sunt, eo tempore, quo Bilem abundare apud omnes in confesso est. Rem nostram declarat Chymia, quæ vomitoria. e. g. ex Antimonio parata, per ulteriorem *volatilis fixationem* reddit per *alvum Purgantia*, amplius figendo, *Sudorifera*, & tandem *Roborantia*. Vomitus autem in peste sunt vehementiores, quia sal est summe volatile & acre. Non raro tamen vomitum lethalem producit *Carbunculus*, ventriculi tunicas mortificans, erodensque.

§. 17. *Alvi fluxus*, plerumque lethalis, agnoscit humorem acrem, intestina ad sui contractionem mordicantem: qui cum duplex sit, nunquam *ab Acido* pendet primario, uti constat ex purgantibus ante febrilem paroxysmum assumtis, nullamque sæpius moventibus dejectionem ob occurrentem succum ex pancreate acidiorem. à *Bile acriore* alvum solvi, manifestat conjuncta *Sitis*, & oris *Amaritudo*; confirmant idem *flatus* in purgatione (nisi carminante discutiantur simul assumto) valde molesti, qui Bilem pro efficiente habent causam. Imo plures alvum naturaliter adstrictiorem continuato usu *salis vol:* & *oleosi*, magnam cum Bile habentis analogiam, servant satis laxam. *Sal volat. alvum* solvere constare videtur ex Vomitoriis, quæ non raro & sursum, & deorsum simul evacuant, vel tantum copiosam movent dejectionem. Nec mirum quis ducat in aliis *Alvum esse adstrictam*, uti in biliosis affectibus sæpius accidit, cum propter *Pi-*

tuitam

tuitam aliudve *impedimentum* impediri possit vis veneni.

§. 18. *Anxietas* circa præcordia, & superius ventriculi orificium, magnam habet cum *Animi Deliquio* affinitatem, ita ut graviorem levioremve, quemadmodum *Syncope* gravissimam, indicet causam, *Flatus* nempe viscidos, *Humores*, *Halitusve* acres. Nullam tamen esse Anxietatem, quin Cor simul afficiatur, demonstrat pulsus mire mutatus. *Tenue intestinum* hujus mali focus videtur, ob conjunctam plerumque *Nauseam*, *Vomitumque*, & confluentes eò humores, *Bilem*, *Succum Pancreaticum*, & *Pituitam*, flatibus, halitibusque generandis peridoneos. Cui opinioni insignem confirmationem addunt sectiones à Cl: Sylvio sæpius institutæ, dum ipsis oculis pateret præteritæ Anxietatis causa. Quis enim non est expertus inexplicabiles illas Anxietates, quas Vomitoria, & purgantia producunt, dum in humores agentia, eos satis commode nequeunt exturbare: quas ab halitibus, flatibusque ortum habuisse indicat frequens cum summo levamine instituta Ructatio. à *veneno* in corpus assumto observantur quoque difficiles oriri *Anxietates*, præsertim si sit valde volatile & acre, quale est *Arsenicum*. Cui tamen male adscribitur vis *Veneni pestilentis*, cum *Arsenici* acrimonia sit *acida*, ut ex summis torminibus cæterisque constare potest symptomatibus. Primaria autem Anxietatis causa in pestiferis quærenda in vitiatâ utrâque *Effervescentia*, cum etiam tam mirus sit totius corporis cum corde consensus, ut ad minimam ejus noxam collabascant partes singulæ, ut constat exemplo canis Thes.26. allato. *Anxietatem* sæpius auget animi *Affectus gravis*, quatenus ob intimam unionem illorum duorum, quæ hominem faciunt, vix consternetur *Mens*, quin simul turbetur vitalis in corde *Effervescentia*. *Omnis enim Anxietas certissimum est vitiatæ Effervescentiæ signum*. Utroque nomine peccat *Venenum Pestilens*: nam *Sal volatile & acre* male *effervescendo* halitus producit copiosos (vide Thes.28.) & ob vitæ periculum Animum turbat.

§. 19. *Pulsus* fit, quoties sanguis in corde rarefactus, & in arterias propulsus, eas distendit, subsequente earum contractione. Ergo pro varia *Rarefactione* sanguinis, & cordis *Contractione* varius observabitur pulsus. Rarefactio hæc dependet à sanguine laudabili & *Cordis Igne* satis valido; ut enim quid rarefieri possit, requirit densitatem sufficientem, quæ ad ingressum ignis (cujus proprium est rarefacere) mire divulsa in molem expandatur majorem. Causa præcipua mutati

in

in peste pulsus petenda ex nimia sanguinis *Fluiditate* (consule Th. 26.) ob quam ineptus est ad rarefactionem. Quemadmodum enim magis *Lac*, quod densius est, minus vero *Aqua*; ita quoque sanguis *fluidior* minus sustinet vim ignis: unde non debite rarefactus, Arterias minus distendendo *pulsum minorem* reddit. Si vero propter copiam veneni sanguis tam fluidus & attenuatus sit, (inter *attenuatum* & *rarefactum* velim distinguas) ut non sustineat rarefactionem, suffocatur ignis vitalis, & pulsus fit, revera *nullus*. Quale quid accidere puto, quoties Sani alioquin, ob admissum intus venenum repentinâ morte concidunt. Ex corrupto sanguine non laudabiles in cerebro secernentur spiritus animales, qui musculosum cordis parenchyma contrahant, unde *debilis* observabitur pulsus. Si vero, simul sit acrior, cor vellicando citius ad sui contractionem coget, unde pulsus *frequentior*. *Inæqualitas* vero dependet à diverso sanguine ad Cor delato, magis *consistenti*, vel *fluido*; non enim omnis statim corrumpitur à veneno sanguis, quod indicat pulsus, sæpius quid boni suâ promittens magnitudine, qui extemplò mutatus, mortem intulit subitaneam. Ita ut pulsui in peste minime sit fidendum.

§. 20. *Palpitatio* est convulsivus cordis motus, dum à *flatibus*, *halitibusve* ad sui inordinatam contractionem irritatur. *Flatus* illud præstant, quatenus in ventriculis hærentes minus spatii relinquunt sanguini effervescenti, ita ut à levi Rarefactione cor mire distensum, iteratâ contractione cogatur expellere, quod alias unâ vice prorumpere solebat. Idem non tantum confirmant *Generatio*, & *Solutio* hujus mali, sed imprimis sectio viri cujusdam Clar. palpitatione molestâ oppressi exhibuit inter alia magni momenti *Cor flatibus* ita distensum, ut præ magnitudine bubulo non cederet.

§. 21. Ab ipso sanguine in Renibus secernitur *Urina*, quæ cum in sanis multum variet, quid mirum si in pestiferis sit diversa, *tenuis*, *crassa*, *fœtens*, *&c.* Ejus constitutio dependere videtur à mutatione sanguinis in corde, dum sanguis à veneno ita confunditur, ut in Renibus, nunc turbatum, modo clarum secernatur lotium. Si autem minima sanguinis pars fuerit corrupta, secerni poterit serum naturali plane simile, quod in morbi initio sæpius notatur.

§. 22. *Sudoris* naturam explicatu difficilem illustrant ejus causæ manifestæ, quarum pleræque effectum sortiri videntur, quatenus sanguis per blandam Effervescentiam magis rarefactus (hinc pulsus

in

in principio ſudoris major eſt) tam laxè cohæret, ut Serum ſalſedine quâdam permixtum ſubſequente Calore per corporis poros poſſit evacuari. In Peſte aliquando *Nullus*, nec ſponte, nec Arte prodit *Sudor*, quod *peſſimum eſt Signum*, denotat enim Veneni Acrimoniam. Sudor nullus eſt naturalis, unde patet ſanguinis maſſam laxius unitam eſſe, dum Sudor prorumpit. Cum enim in ſtatu naturali nunquam ſequatur ſudor, licet ſanguis tam laxè cohæreat, ut quidlibet ab ipſo ſecernatur (in Glandulis nempe *Acidum*, in Bilis folliculo *Salſum*, in Cerebro *Spiritus Volatilis*) ratione ſanguinis nunquam prodibit ſudor, quoties ejus *Unio major* eſt. Ex Chymia vero notum eſt, *eò arctius Acidum Salſo uniri, quo ſunt puriora.* Si enim *Sal volatilis, & acer* in Corde Effervescat cum *Acido puriore*, arctius propter *Puritatem* unientur, & magis in ſe invicem agendo, minus mutabunt ipſum ſanguinem, ut ſecerni ab eo poſſit per poros cum ſero ipſum Venenum. Hinc Salia Volatilia Oleoſa commode movent ſudores, quia maximè temperata ſunt, & ratione Olei calorem in corpore augent. Imo ipſa *Acida*, quæ ſudorem aliàs ſiſtunt, ſi temperatiora ſint, & de *Spiritu Volatili* participent, non rarò movent ſudores.

§. 23. Hinc patet Ratio, cur rarius evadant, qui de *Peſte nimis ſolliciti* Veneno corripiuntur. Cum enim in omni *Terrore*, & *anxia Sollicitudine* Acidum augeri, & acrius fieri per Experientiam conſtet, *Sal iſtud noxium* cum *Acido acriore* magis *concentrabitur*, ut neutiquam extra Corpus poſſit propelli. Qualem Concentrationem experiri licet in *Tartari lixivio*, & *Vitrioli Oleo rectificato*, poſtquam per Effervescentiam abierunt in *Salem Tartari Vitriolatum*, in quo tanta eſt *Acidi* & *Salſi unio*, ut nullâ arte hactenus fuerint ſeparabilia. Hinc in iis Ægris frequenter *nullus* prodit *Sudor*.

§. 24. *Mediocris* vel *copioſus* ſudor plerumque meliùs jubet ſperare. Interdum quoque prorumpit ſudor *fœtidus* ratione ſanguinis corrupti, halituſque putridos propellentis, quales in Putredine, quæ à ſale volatili maxime promovetur, ſolent aſſurgere.

§. 25. Conſideranda quoque nimia ſanguinis *Fluiditas*; qui per varias Hæmorrhagias non tantum, ſed per V. S. imprudenter ferè ſemper in quibuſvis Peſtiferis inſtitutam, aliôve modo effuſus ut plurimum manet *Fluidus*, & *concreſcere* nequit.

§. 26. *Sanguis* laudabilis varias continet partes, *Acidas*, *Salinas*, *Terreas*, *Spirituoſas*, *Oleoſas*, *&c.* quæ per Effervescentiam, & in-

ternam ſui agitationem, ita ſibi invicem permiſcentur, ut *Homogeneam* videantur conſtituere Maſſam, levi conſiſtentiâ, qualis in Lacte quoque obſervabilis, præditam. hic per V. S. eductus, & ſibi relictus ſpontè in duplicem ſecedit partem, *Craſſiorem* & *Tenuiorem* Seri nomine notam: quod citius ſolet contingere, ſi aliquid Acidi affundatur. Concretionis hujus Cauſa non tantum eſt Sublatio interni particularum motus, quo ceſſante craſſiora quidem præcipitari poſſent, ſed *Acidum* in ſanguine exiſtens, quod per Spirituoſas & Volatiles Partes prius temperatum, iis in auras abeuntibus, *Acrius* redditur, & exerit ſuam vim in coagulando. Hinc promovet Coagulationem *Calor externus*, quatenus volatilioribus parat exitum faciliorem. Coagulabilitas in ſanguine dependet à duplici Acido, *Lympha*, & *Succo Pancreatico*, blandam in ſtatu naturali habentibus *Aciditatem*. Quod non tantum mihi perſuadet ſanguis magis conſiſtens obſervatus in ægris, in quibus acidum peccaſſe certò conſtabat, ſed etiam ſequens *Experimentum*. Si enim liquorem Acidum, Ex. Gr. Acetum deſtillatum, Vitrioli, Nitrive Spiritum, paucâ aquâ dilutum, per Syringam infundas in viventis Canis venam majorem, non tantum obſervabis, ubi ad Cor venit iſte Liquor, eum ſubitô omni ceſſante motu exſpirare animam; ſed etiam ſanguinem reperies mirè *Coagulatum*. Contrà verò, nihil Coagulabilitatem magis tollit, quam *Sal volatile*, quod aptum natum eſt Acidum *infringere*, & ſanguinem *Attenuare*; imo jam coagulatum *diſſolvere*. Conſtabit Veritas, ſi loco Acidi *Salem* quemcunque *volatilem*, vel Urinæ, vel Salis Armeniaci, &c. eodem modo infundas in alterius Canis venam, unde non tantum *Fluidiorem*, ſed non coagulabilem poſteà animadvertes ſanguinem. Ita ut ex ſanguinis Fluiditate ſufficiens peti poſſit Argumentum ad probationem *Salis Volatilis & acris* in Peſte peccantis: quale quid ab *Arſenico* demonſtrent ſimili Exemplo produci poſſe Veneni Arſenicalis propugnatores.

§. 27. Si ergo ſanguis ſit *Fluidior*, & forſan *Acrior*, quid mirum ſi capillaria vaſa erodat, & copioſius effluat per vias, quæ ſæpius aperiuntur, quales ſunt circa *Nares*, & *Anum*, fœminis quoque circa *Uterum*.

§. 28. Explicatis læſis functionibus *Naturalibus*, ſeſe inter *Animales* offert *Senſus Caloris ſummè urentis* in Regione Lumbari, & Præcordiis præſertim moleſti. Omnis Calor in corpore excitari

præcipuè

præcipuè solet in *Intestino tenui*, & *Corde*, per Effervescentiam in utroque loco contingentem. Calor iste ex confluxu Bilis, & Succi Acidi, est vel *Blandus*, & minor, vel *Acrior* & interdum major, prout Bilis peccat *Acrimoniâ Salina*, vel simul *Oleositate* inflammabili. Ignis ex *Cordis* Effervescentia prorumpens, se in Oleosas partes sanguinis insinuat, totamque massam (si ad Rarefactionem disposita est) rarefacit, & in eâ, tamquam fomite sustentatus toti Corpori communicatur. Ille autem, qui in *Intestino* prodit, tali sustentaculo destitutus, non rarò eo in loco tantum sentitur, & Lumbarem Regionem excruciat. Dum ergo *Sal volatile* & *acre* cum Bile defertur ad Intestinnm vitiose Effervescendo calorem producit summè *Urentem*, in *Præcordiis* præsertim molestum, quia veneni acrimonia minus in *Intestino*, quam *Corde* temperata acrius Effervescit. Halitus autem assurgentes ad superius Ventriculi orificium, quod in Præcordiis situm, & valdè sensile est, *Cardialgiam*, & *Anxietatem* inducent. In corde vero prorumpet quidem *Ignis acrior*, sed calor ad exteriora non tam diffundetur, quam fieri solet, quoties propter naturalem *Consistentiam*, vel Bilem *pingüiorem*, sanguis ad sustentandum Ignem est aptior. *Halitus*, qui in Corde generantur, ad Pulmones delati, Respirationem reddendo aliquantò frequentiorem, *Anxietatem* augebunt, cui sæpius conjungitur *Æstus* intus præsertim molestus.

§. 29. Calorem istum diximus externè magis observabilem, si Pestem comitetur *Febris*, quod ex præjudicio semper fieri plures malè afferunt, cum in iis, quos Pestis prehendit, non semper deprehendatur Pathognomonicum febris signum, *Pulsus* nempe *præter Naturam frequentior*. Si ergo ista febris multum pendeat à prævia Corporis Dispositione, quæ consistit in Bilis *Acrimoniâ Salinâ*, vel simul *Oleositate*, calor erit major ratione Bilis à veneno vitiatæ ut febrem producat. Hinc febris sæpius *Mitis*, *Lenta*, per se non *periculosa* adest, qualis nunquam exspectari posset à veneno acerrimo. Si enim Peste corripiatur, qui ob Pituitam, & Succum acidum in corpore copiosiorem, *Melancholicus* audit, longè minorem sentiet æstum, quam *Biliosus* experiretur à simili Veneno: Ita ut summæ utilitatis sit *in quovis morbo considerasse præviam corporis Constitutionem*.

§. 30. *Halitus* qui ex interioribus assurgunt ad *Caput*, quo magnæ & amplæ patent viæ, intolerabilem gignent *Dolorem*, quia plera-

 que

que vaſa in Cerebro per membranas decurrunt: hinc quam frequenter *Delirium* ſuccedat notiſſimum eſt. Si verò ad alias quoque deferantur corporis partes, magnam parient moleſtiam, eo præſertim in loco, quo per carnis poros ex Arteriis in Venas tranſit ſanguis: hinc *Terrores* in ſomno, varia corporis *Jactatio*, & *Moroſitas* dolore vexatis ſatis familiaris. Si verò magis afficiant *Partes Nervoſas*, & Motui inſervientes, oriuntur *Tremores* & *Convulſivi motus*; quorum exacta Explicatio excederet inſtituti noſtri rationem.

§. 31. Circa *Somnum*, & *Vigilias* tamquam contrarios effectus major apparet difficultas. Plures namque Peſte correpti obſervantur perpetuò *Vigilare*, tam ob ſerias de inſtante Morte *Cogitationes*, quam *Dolores* capitis præſertim urgentes. Contrà vero, plures videas *Somnolentos*, vel *Sopore* torpidos, cujus ratio ex Emulſionibus, Opiatis, aliiſque Narcoticis, inveſtiganda. *Opium* eſſe amarum, pingue, & graveolens Senſus teſtimonio experimur, quibus ſublatis, vis ejus perit. Si enim aliquantò diutiùs ſuper ignem torreatur, tandem iners fit ad ſomnum inducendum: adde quod per debitam toſtionem noxiâ ejus *Narcoſi* ſublatâ correctum dicatur. Unde concludo cum fumo illo noxio aliquid in auras abire, quod ob ſuam Volatilitatem leni igne aſſurgit. Illud eſſe *Sal volatile oleoſum* mihi perſuadeo, quia in omni *Pinguedine* Animalium, quæ reſpondet Metallorum *Sulphuri*, & Plantarum *Oleo*, reperitur ejuſmodi Sal abundare. Ita ut *Opii* vis non malè in parte Volatili ſulphurea, videatur conſtituenda. In Pinguedine quoque conſiſtit Emulſionum efficacia, utpote ex ſeminibus paratarum, quibus multum ejuſmodi Salis ineſſe teſtatur eorum Oleum, flatibus diſcutiendis, ut omnia ſalia volatilia, aptiſſimum. Accedit, quod Spiritus Vini (cujus Oleum per artem plane ſeparari poteſt) deprehendatur eò citius Ebrietatem, & Soporem inducere, quo magis eſt oleoſus.

§. 32. Ergò *Sal volatile, & acre* Somnolentiam inducere valet, quatenus multos in caput aſſurgere facit halitus minus acres; hinc Somnolenti magis Vertiginoſi ſunt, & minus capite dolent; *Soporem* vero, quoties Bili pinguiori jungitur, & naturam aſſumit Narcotici. Hinc in febribus Ardentibus non rarò obſervatur Sopor profundus. Imo ipſa *Salia Volatilia Oleoſa*, per Artem parata, blandè corpus ad Somnum diſponunt.

§. 33. Sub *Externis* ſignis recenſentur *Bubones*, qui vel *non Maligni* ſunt,

ſunt, vel *Maligni*, ad quos referuntur *Peſtilentes*. In genere oriri videtur Bubo, quoties vel *ſolus Humor vitioſus*, vel ſimul *Sanguis* ſtagnans Glandulas conglobatas diſtendit. Humorem præter ſanguinem hoc præſtare poſſe concludo. 1°. quia in Cerebro Plexus Choroeidis Glandulas, vix alioquin obſervabiles, poſt mortem ſæpius viderim *humore Aqueo*, *Acido-ſalſo*, turgidas. 2°. Quia aliquis Bubo ſatis diu perſeverans tandem ſine Suppuratione poteſt diſſipari, quod impoſſibilè eſſet, ſi glandulæ inflammatæ fuiſſent. Primaria autem ratio hujus tumoris petenda ex ipſis Glandulis à frigore externo malè affectis, uti in Gravedine. Si verò ſanguinem in Glandulis ſtagnaſſe manifeſtet ſubſequens Suppuratio ſoli ſanguini propria, ille eo influxit tum ſui ipſius, tum glandularum culpa. Vitium illud ſanguinis conſiſtere puto *in Arctiore unione Acidi ſucci*, qui naturaliter in illis Glandulis ſecernitur, *cum Salſo*, in Bile Serove, &c. exiſtente: unde non purus, ſed *Acido-Salſus* ſecernetur in glandulis liquor, qui pro diverſitate Salis excitabit dolorem mitiorem, vel magis acrem, & urentem. Hinc Bubo in initio cum Eryſipelate tantam habet affinitatem, ut Sennertus notaverit tempore Peſtilentiali natam Peſtis *Suſpicionem ex indiciis Bubonis in Inguine, & pravis quibusdam ſymptomatibus* plane ſublatam eſſe, poſtquam ſeſe amplius manifeſtaret in eâ parte Eryſipelas. Imo ex Praxi notat *Felix* ille Practicus *Platerus* propter Eryſipelas alicujus partis glandulas vicinas Bubone affectas. Quisquis enim examinaverit cauſas manifeſtas Eryſipelatis, & Bubonis, tales reperiet, quæ humores poſſint reddere acriores, & promovere *Acidi*, *& Salſi Unionem*.

§. 34. Ergo *Sal volatilis & acer* occurrens in corpore Lymphæ acidæ, quantum per utriuſque Puritatem licet, arctè cum eâ concentrabitur, ut in Glandulas facile penetret, & acres excitet dolores, ardoresque, quibus ſuccedere ſolet Bubo. Vitioſus autem ille ſuccus, per Glandularum poros à ſanguine ſecernendus, videtur tum eorum *Diſpoſitionem* ita mutare, ut alienæ materiæ, tum ſuâ *Acrimoniâ* corrodere vaſa ſanguinea glandulis adſita, vel inſerta, ut ipſi ſanguini pateat aditus. Nam ſi illud Acre, quod cum aliquali tumore ſummos aliquamdiu peperit cruciatus in Inguine, ſub Axillis, &c. per ſudores propellatur, tempereturve, Bubonis exortus non rarò ſolet præcaveri. Ratio autem, ob quam Glandulæ *Conglobatæ* magis afficiuntur, quam *Conglomeratæ*, videtur, quod Conglobatæ ſint ſub-

 ſtantiæ

quæ per plures menses, ipsamque hyemem, quæ mitior fuerat, dirè grassata, planè desiit circa medium Februarii oborto brevi, sed acuto frigore. Quid vero *peculiare* accidat, ut ex Putredine assurgat Sal volatile Pestilens cum explicatu difficile sit, satius erit admirari summam Dei Potentiam, quam quævis anxiè perscrutari. De Acrimoniâ tamen notari velim, per Ignem quævis fieri acriora; sic Sal Tartari, quod per Vini Spiritum temperatur, & Volatilisatur, per iteratam Destillationem iterum fit acrius. Ita ut rectè putem concludi per *Putredinis* modum generari naturalitèr *Venenum Pestilens*: cujus Volatilitatis non leve argumentum est, quod non tantum per immediatum Pestiferi cum Sano contactum suum virus communicet, sed per ipsum volitans Aërem frequentius infectet Regiones longè dissitas.

§. 40. Eo autem tempore, quo Pestis grassatur, vel ejus metus est, corporis *Præservatio* petenda ex moderato præsertim acidiusculorum usu. Conducit Elixyr Proprietatis, quod egregiè Bilem acriorem temperat, copiosioremque expurgat blandè quia Crocus, Myrrha, Aloë, & præsertim acidus, vel Sulphuris, vel Vitrioli spiritus, ejus compositionem ingrediuntur. Omnia *Acida temperata* commodè usurpantur, ut ipsum Vini Acetum, quod quantitate cochlearis mediocris singulis matutinis assumtum plurimum præstitisse certò constat. Quibus usus Aceti nocet, conveniunt Vinum Rhenanum, Cerevisia vetus subacida, spiritus acidi Salis, Nitri, &c. per Spiritum Vini dulces facti. Huc pertinet succus Berberorum, Ribesiorum, vel purus, vel cum Saccharo in Syrupum redactus. Aquas Theriacales acriores rectius negligi puto, quia post earum usum plerosque Peste correptos ad mortem furibundos delirasse sæpius est observatum. Servetur interim animus tranquillus, & ad quævis fortiter ferenda paratissimus.

§. 41. Si autem nihilominus corpus diro inficiatur Contagio, Dogmatica institui debet *Cura*. Attendendum ergo 1°. ad ipsum Venenum, quod exturbari debet. 2°. ad Corpus malè affectum. Venenum vario modo nostrum invadit corpus, vel 1°. Cum *Aëre* subit pulmones, & sanguini admiscetur, per eorum parenchyma è dextro ad sinistrum cordis ventriculum fluenti. Vel 2°. per *Cutis poros* penetrat. Vel 3o. cum *ipsa saliva*, & alimentis in ventriculum deglutitur. A Sudoriferis ergo, & Vomitoriis præcipue videtur exspectanda Veneni expulsio.

§. 42. Su-

§. 42. *Sudorifera* in Peste promiscuè conducunt, quia Venenum per corporis poros expellunt, quò sponte vergit: inter ea præferenda sunt, quæ *Sale volatili, blando, & oleoso* abundant, quæ egregiam quoque obtinent vim acrimoniam temperandi. Inter simplicia conveniunt, quæ passim Alexipharmacorum titulo continentur. Qualia sunt ex *Vegetabilibus*, Rad. Zedoariæ, Tormentillæ, Petasitidis, &c. Fol. Scordii, Card. Bened. Acetosæ, Absinth. &c. Salia fixa, ex eorum cineribus elixa. Ex *Mineralibus*, Terra sigill. Lemnia, Bolus Armena, quæ, ratione Olei, & spiritus acidi in iis existentis, participant de natura *Sulphuris Anodyni*: Ex *Animalibus*. Ungula Alcis, C.C., Lapis Bezoar, Porcinus, ob caliditatem majorem minori dosi, aliisque admixtus usurpandus. Ex his simplicibus plurima formantur *composita*, inter quæ omni tempore usitatissima fuit Theriaca, Mithridatium, Diascord. &c. Imo minimè negligendum ipsum Laud. Opiat., à quo primariam vim nacta sunt laudata composita, quia opium sudores movet, & quodlibet acre egregiè temperat. Huc pertinent Aquæ Theriac. & Prophylacticæ, cum aceto, loco spiritus Vini præparatæ. Palmam tamen omnibus præripiunt, quæ ex Antimonio arte parantur sudorifera, ut Antim. Diaphor. Bezoard. Minerale, &c. quod propter admixtum acidum hic valde conducit.

§. 43. In usu sudoriferorum notandum, ea commodius minori dosi usurpari: sumat æger Ex. Gr. alicujus mixturæ unum atque alterum cochleare, & modicè stragulis tectus, non oppressus, sudorem exspectet, quo non subsequente, postea iterum aliquid assumat, donec sudor prodeat; quem valde promovent Juscula calida.

§. 44. *Vomitoria* planè rejicere nimis temerarium videtur, cum commodè sæpius exhiberi possint statim in initiô, apparente Nauseâ, & viribus satis integris. Ad Vomitum tutissimè præscribuntur *Antimonialia* (in quibus laudabile quid est, quod ferè agant pro corporis, & humorum constitutione) qualia sunt, Crocus metallorum, Vitrum, & ex eo parata Sapa vomitiva; Regulus tutius omittitur quia corpus magis turbat. Imo non tantum Ratione, sed Experientiâ constat multiplici, Vomitoria sudoriferis juncta magnum quid præstitisse in affectibus desperatis. Non enim contrarius est motus, cum à Corde, tanquam *Centro*, ad omnes partes, quæ veniunt nomine *Circumferentiæ*, propellantur humores. Eo fine usurpari potest Antim.

C Diaphor.

Diaphor. *minus fixatum*, quod (propter rationem Theſ. 16. datam) parvâ doſi levem movebit Vomitum, ſi humores eò vergant. Similiter cum Aq. Theriacali, Ocul. Cancr. Antim. Diaph. aliiſque commode miſceri poteſt aliquid Vitri Antim. vel Croci Metall. à quibus *Vomitum*, & *Sudores* ſimul moveri novum non erit obſervare. Circumſpectè tamen & parcius Vomitoria ſunt exhibenda, quia vehementius evacuant corpus, & grave aliquod ſymptoma, imò ipſa Mors acutiſſimum hunc ſæpius inopinatò ſequens morbum medicamento malè adſcribitur; quam culpam evitare apud imperitos non ſemper poteſt Medicus prudentiſſimus. Veneni *Acrinoniam* temperant, & *Volatilitatem* figunt, eadem, quæ Bilem vitiatam corrigunt.

§. 45. Reſpiciendum *ſecundo* ad corpus malè affectum, quò refero 1°. Bilem volatiliorem. 2°. Acidum fractum. 3°. Functiones læſas Naturales. 4°. Animales. 5°. Symptomata externa.

§. 46. *Venenum Peſtilens* Bili ſeſe facilè admiſcet, eamque reddit *volatiliorem*, & *acrem*: quæ noxa, ſi non emendetur per *ſudorifera*, requirit *figentia*, & *Temperantia*. Quæ debitam præſtant fixationem in Vegetabilium claſſe pauca reperias, quæ nota hactenus fuerint. Aliquid tamen efficiunt, quæ Spiritum volatilem, Oleum & Acidum in ſe continent, ut Baccæ Lauri, Juniperi, &c. Imò ipſum Opium, propter amarorem, & pinguedinem ſuam multum in hoc caſu conducit. In Mineralium claſſe excellit ipſum *Nitrum*, quod ſummam habet vim figendi. Sola enim calcinatione per Nitrum plurima figi ex Chymia notiſſimum eſt, ut Antimonium, imo ipſum Arſenicum, & Auri pigmentum. Nec minoris efficaciæ eſt *Spiritus acidus*, ex Nitro per vehementiorem ignem paratus, qui præ omnibus ſpiritibus acidis, Salis, Vitrioli, &c. figit; quam vim à ſulphure in eo latente procedere perſuadet mihi ejus *Fætor* in nullo ſpiritu acido ita notabilis. Hinc plures ignoratâ verâ cauſâ, in febribus ardentibus, malignis, & ipſa Peſte cum ſummo ſucceſſu utuntur Nitro depurato, Lapide prunellæ, Nitrique ſpiritu, &c. quia obſervant anxietates, & æſtum minui, bilemque temperari. Inter omnia laudant Chymici *Sulphura mineralia arte fixata*, admirandarum virium
NB in figendo & temperando, quale ſulphur ex Antimonio parandum deſcribit Hartmannus in ſua praxi Chymiatrica. Sed cum hæc altioris ſint indaginis, jam laudatis noſtræ indicationi poterit ſatis fieri.

§. 47. *Se-*

§. 47. *Secundo. Acidus Succus* fractus, restituitur enarratis acidis spiritibus, Nitri, Salis, Sulphuris, per spiritum vini temperatis. Conducunt *Plantæ acidiusculæ*, ut Plantago, Acetosa, Semper vivum majus, &c. *Fructus similes*, ut Mala Punica, Granata, Auriaca, Berberi, Ribesia, eorumque Succi, & Omphacium, in quibus blanda est austeritas, restituendæ sanguinis consistentiæ aptissima. Pro potu convenit Lac Ebutyratum, & serum Lactis acidiusculum.

§. 48. *Tertio. Functiones Naturales* læsæ expulso veneno, & emendatis humoribus solent restitui; si vero valde urgent, specialem requirunt curam.

1°. *Sitim auctam* curant, & linguæ siccitatem minuunt, quæ Salem acrem *Diluere*, *Enervare*, & *Temperare* possunt, ut *Aquea*, *Acida*, *Oleosa*, vel *seorsim* vel quâvis formâ conveniente simul usurpata. Plurimum conducit *Nitrum depuratum* in Ore retentum, vel in potu ordinario dissolutum, quod æstum internum simul minuit. Gratissimæ parari possunt ex Succo Citri, Berberorum, &c. cum saccharo tabellæ, quæ linguam demulcent.

2°. *Aphthas* auferunt medic. *abstergentia*, & *Acrimoniam lenientia*. Conducunt Gargarismata ex Aq. vel decocto Plantag. Ligustri, Solani, Portulacæ, Prunellæ, addito Lapide prunellæ. Ex Hordeo, Amygdalis, &c. conficiuntur Emulsiones, quæ linguam & fauces leniunt, & humores acres in corpore temperant. Usurpantur Linctus ex syrupis, Jujub. Violac. Portulac: conducit Folium Semperv. Majoris exteriore tunicâ denudatum, & linguæ impositum.

3°. *Nauseam*, & *vomitum* tollunt laudata Acida, additis Spirituosis, Opiatis, & leniter adstringentibus. Cochleatim usurpari possunt mixturæ ex Aq. Menthæ, Plantag. Portulacæ; Tinct. Cinamo. Mithrid. Diascord. Laud. opiat. & Syr. Myrtini, Granator. vel de Succo Citri. Si liquida minus retineantur, præstant condita, ex Conserv. Ros. Rubrar. Carne Cydonior. Menthæ, Terra sigillat. & Opiatis Antidotis.

4°. *Alvi fluxus*, plerumque lethalis, sistendus adstringentibus, qualia sunt Terræ pingues, ut Bolus armena, Terra sigill. Lemnia, Cortices Granat. Corall. &c. Confect. Hyacinth. Opium, Diascord. &c. Si vero *Alvus sit adstricta*, à Purgantibus sedulo cavendum, sed summâ urgente necessitate solo Suppositorio ad levem dejectionem est sollicitanda.

5°. *Anxietati*, & consequenti *Leipothymiæ* medentur *flatus, halitusqeu discutienta*, & Bilis acrimoniam *temperantia*. Laudantur aque Vitæ compos. & Olea aromatica cum Spiritu Vini artificiose unita. Imo flatus nihil æque discutit quam ipse *Nitri spiritus*, additis Spirituosis aliis parva quantitate usurpatus.

6°. *Pulsus vitia* cessant emendato sanguine, aliisque humoribus. Idem de *Urina*, *&c* esto judicium.

7°. *Palpitatio* cessat, quoties acre aliquod, Cor vellicans *temperatur*, vel flatus, halitusque *discutiuntur*: quod præstabunt pleraque jam laudata Medic. & præsertim quæ *Anxietati* præscripsimus.

8°. *Sudor*, si sudoriferis convenientibus non propellatur non diu est urgendus; sed convenit ægrum *roborare* contra instantis mortis Anxietates, tum *Rationibus* solidis, tum *Spirituosis Aromaticis*, *&c.* ut Aq. Cinam. Borrag. Meliss. Confect. Alkerm. Ambra Grysea, Lapid. Bezoard. &c.

9°. *Hæmorrhagia*, quæ in Peste, rarissimè *Critica* est, sæpius symptomatica, statim sistenda est adstringentibus, & vasa consolidantibus. Libet mixturam apponere, quæ in sanguinis excretionibus ferè sola sufficere potest.

℞. Aq. Plantag. ℥ij.
Cinam. ʒvj.
Acet. stillat. ℥ß.
Corall. rubror.
Præparat. ʒß.
Sang. Dracon. ℈ß.
Spir. Nitri gutt. vj.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. Myrtini ℥j.
Ms.

§ 49. *Quarto*. Inter Animales functiones læsas, observatur 1°. *Calor molestus* in interioribus. Calorem in corpore nostro nihil magis minuit quam *Acidum*, quia Bilem, caloris causam infringit, ignemque exstinguit. Possunt Acida, aliis aquis refrigerantibus admisceri & formâ conveniente exhiberi. Præ omnibus plantis æstum minuit *Sempervivum majus*, quod cum Plantag. Nympheæ, Acetolæ, &c. foliis decoctum, sæpius exspectatum habuit successum in febribus ardentioribus. Formulam desideranti exhibeo sequen-

quentem, præſcriptam ægro præ ardenti febre in Noſocomio publico præteritâ æſtate decumbenti, ſummis ardoribus, & anxietatibus oppreſſo, cujus effectus cum ægrotantis commodo vidi notabiles:

℞. Rad. Plantag.
Acetoſ. an ℥j.
Fol. Semperv. Major. Mij.
Nympheæ Mj.
Sem. Milii ℥ij.
Aquileg. ℥ß.
Coquantur S. A. ex Aq. pura
in Colaturæ ℥xxx. diſſolve
Syr. Jujubini ℥iij.
Aq. Cinamom. ℥j.
Ms.

Aſſumat æger interdum hujus decocti hauſtum mediocrem, cui admiſcere poteſt guttam unam, atque alteram Spiritus Nitri, Saliſve dulcis, ut internus ille æſtus magis minuatur, tempereturque. Acida non poſſunt non prodeſſe; quamvis aliàs notandum ſit, conducere *Emulſiones*, ſi æſtus magis urat; *Acida* temperata, ſi calor ſit magnus.

2°. *Dolor* capitis, & *Lumborum*, cum pendeat ab halitibus aſſurgentibus, mitigatur, ſi vitioſa in inteſtino, vel corde emendetur *Effervescentia* per *Opiata*, *Spirituoſis*, flatuſque *diſcutientibus* mixta. Capiti applicari poſſunt *Epithemata*, ex Aquis refrigerantibus, halituſque diſſipantibus, ut Roſar. Plantag. Betonic. Verbenæ, &c. Vel Linimenta ex oleo Anethino, Roſar. Viol. Ung. Populeon. &c. non neglectis *Anodynis*, & *Opiatis*. Sublatis enim his moleſtiis plerumque ſimul tollitur *Inquietudo*, deſinunt Convulſivi *Motus*, & *Mens* ad ſe redit.

3°. *Vigilias* perſeverantes auferunt laudata Epithemata, vel *Opiata* quævis introſumpta parva doſi, donec blandus ſubſequi videatur ſomnus. *Sopor*, curatu difficilis, interdum cedit Objectis ſenſum potenter afficientibus, inter quæ præſtant *Acida*, veneno ſimul reſiſtentia, ut Acetum acrius, &c. quæ naribus ſæpius ſunt applicanda, & removenda.

§. 50. *Quinto.* Inter externa ſigna *Bubonis* ratio habenda eſt, cujus Cura primum in eo verſatur, ut veneno forâs expulſo, tumor diſ-

 cutia-

cutiatur. Conducunt omnia Sudorifera, & in specie Antim. Diaph. Ocul. Canc. &c. quæ egregie quoque Acrimoniam temperant. Externè laudantur *Cataplasmata*, ex Resolventibus parata, quæ plus efficiunt, si iis admisceatur, Theriaca, Mithridat. vel nigrum Oleum C. C. vel fœtens ex Tartaro, vel Balsamus Succini, in Olei destillatione ultimò assurgens. Recentiores nonnulli, improbantes Veterum Scarificationes, & Cucurbitulas, statim Buboni *Vesicatorium* applicant, post cujus operationem sufficientem imponunt *Solas Cœpas* sub cineribus assatas, cum pauxillo Theriacæ, vel *Emplastrum Divinum*, vel *Magneticum Arsenicale*, quod præ cæteris foras elicit venenum. Difficulter ad perfectam suppurationem deducitur Bubo Pestilens, propter summam *Salis Acrimoniam*, quæ plerumque mutationem sanguinis in Pus retardat, cum in legitima suppuratione *Acidum* videatur magis prædominari. Si vero non satis commode educatur quod noxium est, cavendum ne nimis citò *consolidetur* ulcus; sed præstat diutius *mundantia* adhibere, quæ commodam simul inducunt *consolidationem*; inter quæ excellit *Balsamus*, ex Sulphuris floribus, cum Oleo Thereb. Succini Anisive, &c. paratus, & ulceri cum Oleo Hypericonis, Myrrhâ, &c. instillandus.

2°. Simili fere modo curantur *Anthraces*; quibus statim applicari potest Emplastrum *Diachylon*, laudatum *Arsenicale*, vel *Pulticula*, à Cl. *Diemerbroeck* valdè commendata, quæ Carbunculum egregiè separat ejusque Curationem per *Mundantia* & *Consolidantia* absolvendam festinat. Cum vero *Anthrax* in partes vicinas serpendo, non rarò faciem defœdet, Oculosque erodat, sedulò cavendum ut *sistatur* proserpens mortificatio. In quo casu miraberis successum, si Anthracis apici illinas *Butyrum Antimonii*; statim enim sistetur venenum, & caro mortua à viva secedet. Quod non immeritô quidam recensent inter Gangrænæ remedia secretiora.

3°. *Maculæ* vix specialem requirunt curam, cum rarius soleant per sudorifera evanescere, frequentius instantem annunciare mortem. Si vero acrem excitent dolorem, adhiberi possunt *Fotus*, ex Vino, Aceto, Myrrha, Camphora, Mastiche, Theriaca, &c. qaules conducunt in omnibus pustulis exulceratis.

§.51. Tantum è Re nostra fore existimabam, ut, quantum licitum erat manui minus exercitatæ, suis depingeretur coloribus hic Affectus atrocissimus vitæ humanæ Insidiator, cujus horrendi effectus licet hacte-

hactenus ſatis innotuerint omnibus, in occulto tamen delituerunt arma; quibus aggredi, & proſternere ſolet etiam fortiſſimos. Rationes, quæ pro noſtra militant ſententia, unicuique relinquo expendendas, ut conſtet, an probum in fronte hujus Diſputationis tulerim judicium de Sale volatili, & acri in Peſte peccante. Optimum vero remedium, quo triſte illud malum præveniri poteſt, eſt vita ad normam divinæ Voluntatis piè, & ſincerè inſtituta, ne irritetur ſummi Numinis ira, quæ lento quidem gradu procedit ad vindictam ſui, tarditatem vero compenſat gravitate ſupplicii.

F I N I S.

